# QUAEDAM DE IMAGINATIONE QUA CAUSA MORBOSA DISSERTATIO...

Alessandro medico Viviani (medico)

# QUAEDAM
# De imaginatione
QUA CAUSA MORBOSA
# DISSERTATIO INAUGURALIS
quam pro
DOCTORIS LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS
*rite consequendis*
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
## UNIVERSITATE PATAVINA
PUBLICAE DISQUISITIONI
submittit

## ALEXANDER VIVIANI
ILLYRICUS LUSSINENSIS



ATESTE
TYPIS LONGO
M. DCCC. XXXVII.

# JOANNI VIVIANI
## FRATRI SUO AMATISSIMO

Auctor Gratissimus.

*Si jam ab incunabulis, me patris optimi, curis solertissimis, adversa fortuna orbatum reliquit, novum profecto in te, dulcissime frater, parentem inveni, qui defuncti vices, mira sedulitate sustinere curasti. Tu, propriis continuo posthabitis emolumentis, a prima jam aetate, nobili litterarum studio, me dicatum voluisti. Quando autem, humanioribus absolutis*

disciplinis, Medicinae operam navare statueram, me ad tantum opus, ipse cohortabaris, res in ista divina arte a patre gestas, commemoratus. Adfulget tandem fausta amata dies, qua studiorum meorum, tuarumque simul ardentium cupiditatum, metam optatam attingo. Quum itaque, pro tot tantisque, quae mihi abunde contulisti, benefitiis, te debite compensare nullo pacto queam, ut gratias tamen, aliquo modo, referam, hasce pagellas, tibi inscribere desidero: hae qua sinceri amoris, atque perpetuae gratitudinis pignus, etsi exiguus, acceptae sint. Vale.

Si quis humanam natnram considerans, sublimiori intuitu, dotes ejus physicas, moralesque perpenderit; hominem jure meritoque, coeteris animantibus praestantissimum dici et haberi sibi persuadebit. Ipsius enim firma compages; organorum complicata textura, atque systematum recta proportio; functionum armonia; omnium denique partium ad evolutionem et conservationem corporis conspiratio, perfectam organisationem certe demonstrant: dum vero elatiori inquisitione, animi qualitates ponderantur, homini tantum inter tot viventium genus, sublime os datum, mentis, ingemiique acumen concessum fuit, ut recti bonique notionem concipere possit; ipse solus omnes externas res, in comodum et utilitatem propriam convertere studet; solus tandem, recta statione, coelum tueri potest, erectumque ad sidera

tollere vultum; ita ut profecto summus dominus, atque innumerarum orbis rerum princeps, declarari mereatur. Ast proh dolor! istiusmodi mentis facultates, de quibus homo gloriatur, causam praecipuam non raro in progignendis morbis sistunt. Saepe Medici, ab externis potentiis nocentibus, morbi originem repetere, frustra conantur, dum prima mali fons, in aegrotantis phantasia latet. Longum certe foret, singula ea mala recensere, quae aliis causis tribui solita, vitio tamen Imaginationis debentur. Quis deliria Melancholicorum, Hystericarum visiones, Maniacorumque furores enarrabit? Dari autem hujuscemodi morbosas affectiones, Medicorum nemo est, qui non affirmat, dummodo miseratione prehensus, Nosocomia, atque Monotrophia perlustret, ibique miserandas humanitatis calamitates spectet.

Cum igitur mihi, hodierna die, ad leges academicas adimplendas, publice disserendi, offitium imponatur, aliquid de Imaginatione qua causa nacente agere, in animum induxi. Me autem scientiae in limine vix locatum, magis quam coeteros de hoc difficili argumento, aliquid in medium proferre, forsan dedecet; ast cum audientium comitatem, vestramque indulgentiam considerem, Professores celeberrimi, spes me demulcet, veniam, etiamsi onus meis viribus impar susceperim, mihi impertituram.

Exponam igitur aliquid de imaginationis influxu in reliquas organismi functiones; deinde veterum recentiorumque medicinae Cultorum, volumina pervolvens, exempla enarrabo morborum, qui a phantasia originem duxerunt; denique dicam quaedam de praesidiis, quibus medicus, in curandis animi morbis niti debet.

Imaginatio, seu phantasia, illa est animi facultas, per quam uti Philosophi aliqui volunt, idearum objecta, ita nobis exponuntur, tanquam si illa ante oculos haberemus. Alii e contra, imaginationem, non qua primitivam mentis facultatem considerant, verum illam memoriae, intellectus, atque ratiocinationis effectum esse volunt. Dantur tandem et alii, qui hance spiritus humani proprietatem, in eo consistere putant, ut plurimorum objectorum ideam, in unum concentrare valeat, vel oppositionum, contrariorumque principiis initens, novam notionem format, de qua in rerum natura typus desideratur. Hac significatione, phantasia, qua poëseos, picturae atque musices mater censenda est.

Si autem rem aethiologico intuitu aestimemus, imaginationem illam validam animi dotem vocamus, qua praeteritorum reminiscentia, praesentium impressiones, futurorumque praessagia, tam variis formosisque speciebus, repraesentantur, ut dulcis voluptatum fons, saepius-

que sollicitudinum causa, in suis cum sanitate relationibus, prout variam directionem servat, tum salutis, tum etiam mortis instrumentum evadere possit. — Homo phantasia agitatus, monstra spectraque vidit, impossibilia audit, mirabilia loquitur, excidia stragesque vaticinatur; saporem acrem commemorat, atque os perstringit; fructus acerbos alios comedere videt, et ipsius dentes obstupescunt; cibum exquisitum desiderat, ejusque saliva copiosa secernitur; oscitat vigil dum soporosum oscitantem observat; dolores ejus remittunt, dum aliis proprias calamitates exponit; tandem morbo se affectum putat, et morbo, et quidem gravissimo, corripitur. Sic et partes externae visibiles et latentes, uti voluntatis imperio subjectae, et quae huic non obediunt, omnes obsequiosae, potentiae de qua loquor, obtemperant.

Sed quomodo imaginationis aberrationes reliquis organismi partibus nocere possunt? Priscis temporibus, et praecipue barbariae saeculis, non defuerunt medici, qui nullo ad phantasiae vitia, respectu habito, quaecumque fere insolita phaenomena, causis supernaturalibus, aut quod pejus, magicae arti tribuerant; quo fiebat, ut id genus Philosophorum, non ultra simplicem popellum sapientes, auctoritate qua superbiebant, superstitionibus ansam praeberent. Ast saeculo elapso, et praecipue nostris

diebus, quum per Anatomicorum, Physiologorumque conatus, plura scientiae medicae principia, summum evidentiae culmen, attinxerint, ita et mutuus animi cum corpore influxus, magis inclaruit. Moderni physiologi functiones in organicas, animales, et sexuales diviserunt, et nervorum originem, diramationesque sequentes, systema cerebro-spinalem a ganglionico distinxerunt. Primum animae operationibus praeest, et nervi qui ab illo producuntur, ad varias distribuuntur partes, quibus conspicuae sensilitatis, atque irritabilitatis facultatem tribuunt; alterum, gangliare, plexus plures efformat, ex quibus nervi promanant, qui vitam organicam dirigunt. Plexus et ganglia, per nervos praecipue cervicales, cum systemate cerebro-spinali communicant. Sequitur exinde quod animales functiones, in intimo existant nexu cum illis, quae ab organica vita dependent. Sic e. g. cerebri adfectiones, per nervosum consensum et vias digestorias in compassionem trahunt; uti et ventriculi mala, cerebrum ipsum labefactare valent.

Rem autem clarius expositurus, dicam aliquid de stimulis, eorumque in sensibus impressione ac receptevitate. Quodlibet organismi punctum, stimulorum externorum impressionem concipere potest; quorum autem impressionum perceptio, in sensorio communi sita

est. Ab eo ipso momento, quo homo in relatione cum rebus externis ponitur, invisibiles communicationis viae, quae inter puncta impressionabilia, et perceptionis sedem existunt, statim evolvuntur, atque in continuam activitatem veniunt. Insolita igitur imaginationis vis, dum ideam novam excitat, has colligatas vias ita sollicitat, ut ejus effectus usque ad extremas organismi particulas communicetur; quae tali pacto majorem vel minorem ab hoc alieno stimulo modificationem experiuntur. Patet ex his, quod eo facilius modificationes haecce in scoenam prodibunt, quo communicationis viae inter impressionem et perceptionem, vel manifestiores sint, vel stimulis saepius excitentur. Hinc intelligitur cur e. g. verecundia in homine sensibili urinae excretionem retinere valeat, dum neccessitas eam emittendi, relationem inter sensorium commune, et vesicae organon, frequenti stimulo excitaverit: eoque clarius erit undenam imaginationis influxus in organa genitalia tam validus exoriatur, quum tot externis stimulis mens humana irritata, naturae moderatas neccessitates, effrenatae libidinis consuetudine transformaverit.

His praemissis imaginationis duo communiter statui solent gradus. Primus dicitur, quando causa in sensorio communi agens, eam ducit impressionem, quae major non sit illa, quae

a consuetis externis agentibus produci solet; cumque a causis fortioribus vividius sensorium commune excitantibus, hujusmodi ideae facile deleri possint, patet primum hunc imaginationis gradum, non modo alias communes ideas non turbare, sed et nobilissimum esse naturae instrumentum, in cultoribus praecipue bonarum artium mire praestans; haec illa vis est, cujus aestro agitati poëtae, carmina ingeniosa pandunt. Donatus narrat de Maraco poëta syracusano, qui optimos versus, nonnisi furens et mente motus componebat, sedatus nil excellens proferrebat. Sed si imaginatio haec grata et fertilis, diu mentem occupet, vel sapientissimos viros summosque artifices insanire facit: exemplis res illustrari posset, quibus id abunde demonstrare facile esset; sic de carpentario hystoriam refert Araeteus Cappadox, de viro alias prudente, qui crura staminea se habere sibi persuadebat, van Swieten de Jureconsulto, lotium retinentem, prae metu, urbem vastissimam submergendi; de viro doctissimo Hallerus, qui credebat Deum animam rationalem de ipso dempsisse, ut nuda supresset machina, sexcentaque alia, quibus clare demostratur, phantasiae vim adeo in pictoribus, poëtis, aliisque scientiarum cultoribus proficuam, ut si diu menti inhaereat, homines reddat melancholicos et insanientes. Contingere id solet, dum eidem

operi perficiendo, eidemque objecto, ideis suis fixi ita haerent, ut nulla ratione ab iis averti se sinant. Ideo tanta animi contentione, et sollecitudine, uti immortalis Boerhavius monet ii potissimus, qui severioribus studiis animum adjiciunt, nisi diuturnis meditationibus, aliud ab his alienum negotium subinde interponant, inhabiles tandem ad coeteras vitae humanae actiones fiunt. Eruditio quam tanto illi labore sibi redimunt, exosum melancholiae genus secum trahet.

Alter imaginationis gradus est, quando causa impressionem inducens, tam valida est, ut pars sentiens inde magis afficiatur, quam ab alia quacumque externa potentia; soletque tunc imaginationi voluntas conjungi, ut gratum ejus ideae vel molestum sensum anima recipiat fugiatve; et sicuti antea diximus, ideas diu menti inhaerentes, facile etiam sapientes in errorem inducere, ut pertinaces fiant, ita secundus hic phantasiae gradus, homines furios reddit; non attinet hic funesta hujusmodi exempla, quibus scatet hystoria medica afferre. In his talis phantasiae virtus est, ut sensus inde male afficiantur. Rite hi saepe audiunt, et vident, sed id quod impressionem facit, in laesa imaginatione manet; ratiocinantur, sed vis ratiocinii debilior est, vi in sensorio communi impressa; Impressio autem semel nata, et ob

partium mollitiem, nervorumque mobilitatem facile suscepta, sensorium commune, et per consensum coeteras corporis partes, ita commutare valet, ut diversissimi generis mala vix enarranda, per totam vitam remaneant, nulla saepe arte delenda, ob mutatas nimis a gravibus excitatis turbis partes, modo ab effectibus solum cognoscendas, dum interim vitium physicum apparet nullum. Patet id in animi affectibus quibus foeminas magis quam viros affici, singuli practici uno ore confirmant. Ingens et subita mentis turbatio v. g. per terrorem, in animo talem impressionem figit, ut saepe nullo modo postea deleri possit; hinc miseri nil cogitant, nisi hoc unum, etiamsi inviti et obluctantes, atque in melancholiam aut ipocondriam vastissimum errorum campum a depravata phantasia oriundarum incidunt. Observavit hoc van Swieten in muliere quae subito de nocte perterrita, dum fures fenestram cubiculi effringere moliebantur, semper ac ubique metuebat insidias, et primo somnii limine cum terrore evigilabat, licet novisset domesticos excubias agere; nunquam potuit ille terror deleri, et quotidie circa vespere, tremere incipiebat, undique fures metuens, circumspiccebat, siccque brevi in pertinacissimam melancholiam incidit. — Cum Nabelius discipulo suo attentissimo, febris suppuratoriae symptomata, vividis expo-

neret coloribus juvenis hicce pallescere ac tremere incipit. De qua re interrogatus, dixit, quod professoris verba summa cum attentione excipiens, descripta phoenomena singilatim in se ipso evoluta persentisset. Sequenti quidem die, dicta symptomata, eadem hora, novitus comparuere, et juvenis revera febri hectica correptus periit.

Legitur in Journal de medécine de la Roque pour l'an, 1686, quod mulier sensibilissima, juvenem paralysi in dextero bracchio correptum videns, talem ab hoc eventu impressionem pertulisset, ut eodem momento bracchium ipsius dexterum rigesceret, et paulo post, paralyticum evaderet,

Doctor Venetus Pezzi, narrat de viro sanissimo, torosa structura donato, cui avus provecta jam aetate, a congestionibus pulmonalibus perierat; parentis mors continuo memoria pervolvens, se phtysi moriturum putabat. Idea haecce eum tyrrhanico modo vexabat, ita ut phtysicum adspiciens, horrore prehenderetur. Nullum emittebat sputum, etiamsi mere salivalem, quin illud attentissime examinaret. Evenit ut simplici corrhyza prehensus, vespere quodam e faucibus sputum mucosum, tenui stria sanguinea commixtum ejiceret. Rem diu tanta trepidatione consideravit, ut febri prehenderetur, quam brevi dira pneumonitidis sym-

ptomata sequuta sunt, et miser 46.° aetatis anno, phtysi pulmonali ulcerosa, consumptus periit.

Idem doctor refert de viro quodam illustri, artritide atonica vexato, qui jamdiu in lecto immobilis decumbebat. Accidit casu ut domus ejus comburreretur; de hac re monitus, sese movere tentat, dolore vero correptus, iterum in lecto cecidit. Ast domestica in perturbatione neglectus, talis instantis periculi terror fuit, ut totis collectis viribus, e lecto surgens, sibi vestes indueret, scalas descenderet, atque amicum valde remotum adiret.

In ephemeridibus medicinae Omodei legitur de quodam foemina hysterica, cui sub maximis cruciatibus cutis findebatur; et quum aliquando aliis atrocem casum describeret, iterum dirum phoenomenon, cum adstantium horrore, in conspectum redibat.

Hoc loco, mentis hallucinationes, quae apparent in delirantibus morbo acuto correptis, seponere judico; nemo enim est qui nesciat, per sanguinis ad caput congestiones, in febri v. g. ardente, totum organismum turbari, ita ut furor simul conjungatur. Ita Hallerus dicit de juvene studioso febri inflammatoria delirante, qui pecuniam, qua ad militiam adstringeretur, sibi numeratam, sibique ad definitam sub patibuli poena, stationem redeundum persuasus, e fenestra prosiliens, ad putatam stationem se recipit, e qua redux expiravit.

Epilepsia ipsa quandoque imaginationis vi, ab uno ad alium individuum communicabatur, et quod mirabilius ejusdem virtus epilecticos accessus reffrenare valuit. Sic Pinel (Nosographie etc. c. 3), narrat de juvene, qui cum epilepsia laborare inciperet, ipsi persuadere studuit, quod hicce morbus, stultorum esset retagium, quodque sapientes aut nunquam, eo laborabant, aut nullo remedio ab ipso liberabantur. Hoc morale pharmacon talem in juvene influxum exercit, ut omnibus ommissis remediis, sanus evaderet.

Hystericarum, cloroticarumque deliramenta nemo est qui non affirmat, dum facta, dictaque audiat, quibus sub paroxysmo praecipue, hae miserae laesam imaginationem ostendunt. Ut de tot aliis taceam exemplum a Traliano expositum commemorabo, de foemina scilicet hysterica, quae medium manus digitum erectum tenebat, semper credens, totum se sustentare orbem, et metuens, ne omnia corruerent, si digitus inflecteretur. — Ita Souvages refert de quadam domo religiosa, in qua omnes puellae, quavis die, hora determinata, se feles esse putabant, et felium vocem emitando, concentus efformabant.

Selle, I. P. Frank aliique auctores celeberrimi, idrophobiam spontaneam sub imaginationis exaltatione evolvi posse putant.

Curtius Sprenghel opinatur, ovariorium vi-

tia, quae in cadaveribus sterilium mulierum reperiuntur, phantasiae aberrationibus tribui debere.

Locus hic esset, aliquid de matris phantasiae in prolem influxu exponere; ast argumentum hoc difficile non attingam; dicam tantum auctores dari qui infantuum naevos phantasiae maternae viribus tribui posse negant: vides e contra practicos, firmis experimentis nixos, matris in naevos influxum acerrime defendentes. Quapropter prudentissime agunt, qui gravidarum imaginationem, omnesque animi affectus moderare student, atque earum desideria explere cupiunt, et quidem non eo consilio ut foetuum stigmata impediant, verum experientia edocti, per nimiam systematis nervosi in foeminis sensibilitatem, atque mobilitatem, animi pathemata, vehementioresque cupiditates cohibitae, gravidarum sanitatem turbare, et soboli quoque secundario modo nocere posse.

Hac itaque quaestione in medio relicta, ad illorum deliria opportunius forte deveniam, qui sese tanquam Daemone obsesos, sibi imaginantur (quod Daemonomaniam sagarum Souvages vocat). Nostris profecto diebus, per animi culturam, religionisque influxum, spectra, obsessiones, praestigia, Daemonunque ludibria atque oracula, non tantam in rerum

naturalium ordinem, et in ipsum genus humanum potestatem exercent, quanta olim pollebant; ast hodie quoque praestigiatores dantur, qui auctoritatem apud idiotas sibi conciliant. Fuere teste clarissimo Souvages, qui se diabulum in visceribus gerere, qui cum ipso decumbere, conventicula celebrare adeo sibi persuaserunt, quid enim imaginatio non potest!, ut in supplitiis contra ipsos olim decerni solitis, id ad ultimum vitae spiritum affirmarent.

Communiter autem id contingere solet, ex receptis in infantia opinionibus, prava educatione confirmatis; quum enim parentes non semper satis sint culti, nec a praejudiciis vacui, auctoritate propria, plurimos errores pueris communicant, quos deinde auget nutricum perversitas, vetularumque ignorantia; cumque sint adolescentes natura sua, parentum et nutricum reverentissimi, sic quae semel animo receperunt, firmiter tenent, quoque magis ab omnibus aliis, aliena objecti actio in sensorium commune fuerit, eo fortiorem in molli puerorum cerebro impressionem producit, eoque vividior orietur idea; ita si ea quae nobis in juventute contigerunt, memoria percurrimus, illico reperimus. Praeterea cum in tenera aetate, vulgarium opinionum momenta expendere nequeamus, fit, ut eas temere amplectamur, quae firmas deinde in animo radices figunt. Hinc op-

time ad rem Tullius: « Simul atque in lucem » editi, et suscepti sumus, in omni continuo » pravitate, et in summa opinionum perversi- » tate versamur; ut pene cum lacte nutricis » errorem suxisse videamur. Cum vero paren- » tibus redditi, id est magistris traditi sumus, » tum ita variis imbuimur erroribus, ut vani- » tati veritas, et opinioni confirmatae natura » ipsa cedat. Accedunt etiam poëtae: qui, cum » magnum speciem doctrinae, sapientiaeque » praesetulerint, audiuntur, leguntur, ediscun- » tur, et inhaerescunt penitus in mentibus; » cum vero accedit eodem, quasi maximus » quidam magister, populus, atque omnis un- » dique ad vitia consentiens multitudo, tum » plane inficimur opinionum pravitate, a na- » turaque ipsa desciscimus. »

Quo imbecillior est ratio, eo vividior est phantasia, et vicissim. Hinc videmus in pueris ignarisque foemellis, magnam esse phantasiae vim, unde ratio patet, cur in rusticis et idiotis phantasia pro ratione habeatur. Qua in re cavere oportet, ne rationem, quod illam non intelligamus, aspernati, phantasia in rebus incorporeis intelligendis abutamur, aut illi nimium indulgentes, in graves et perridiculos errores incidamus; quanta enim ejus in nos potentia sit, ex antea dictis, forsam, patet. Nec fantasiae vires rationi superiores tribuere licet, nec ea

ejus viribus adscribenda sunt prodigia, quae a singulis admitti nequeant; id modo contendendum, multa opus esse cautela, antequam, quod imaginationi tribui debet, ab aliis causis v. g. magicis repetatur. Moneam igitur illos, qui coeca credulitate, atque vassa imbuti ignorantia, omnia insolita phoenomena tanquam miracula considerant, ut sagaciori examine vires physicas et vitales atque imaginationis potentiam perpendant. Non ego is sum qui miracula denegem; nec cadaveris jam putrescentis adspectus, quod Taumaturgi nutu redivivum exsurgat, me tantum devincet, ut auctorem eventus rerum naturalium ordinem exsuperantis, genuflexus colam: ast cum imaginationis influxum, in reliquas organismi partes exposuissem, liceat mihi tanquam dubios illos mirabiles considerare successus, qui hanc solam auctricem agnoscunt. Quum igitur tam vastum sit in oeconomiam animalem vis imaginatricis imperium, ex insolitis quibusdam symptomatibus, non illico ad causas supernaturales recurrendum erit, cum potius a prudenti et docto medico, auxilium quaeratur. Vivax aegrotantium phantasia, earumque circumstantiarum concursus, quae illam extollere valent, non levem saepe operam addunt, ut nova atque mirabilia phoenomena in conspectum veniant. Caesar in Galliis, digiti impressione, coecum sanat.

Celius Aurelianus, hydropem anassarcam solis verbis curabat. Vespasianus in Alexandrian, ut Tacitus refert, coecum et paralyticum tactu sanavit. Sic et Galliae Reges, nullo alio remedio, quam propria preesentia, aut versibus quibusdam, scrophulas tractabant. Quid enim nostris quoque diebus, apud simplicem plebeculam regis manus, verba, atque carmina non possent?

Tandem ipothesium dubias relinquens vias, liceat mihi necessitatem communem revocare, ut jam ab incunabulis attentio in pueros dirigatur, atque potentiam de qua loquor, prudenti physica et morali educatione moderetur, ejusque aberrationes, strictis compellantur vinculis. In diem generis humani dignitas infirmatur! et dum foeminae tot malis nervosis cruciantur, de quibus deest apud veteres memoria, vir quoque a proprio et naturali robure gradatim declinat, et triste periculosae sensilitatis, atque effernatae imaginationis specimen offert!

Quare hoc semper practicis in animum fuit, ut aegrorum instabilem phantasiam, solerti cura gubernare studerent. Antiquos jam medicos non latuit, quale in curandis aegris emolumentum, phantasiae educatio praestet. Et priusquam graeca medicina, leges therapeuticas promulgasset, Aegyptiorum Sapientes, omnia sagaciora praestigia, quibus mens exaltari

potest, ad Saturni fanum, accumulare studebant. Manus ergo solertis medici erit, ut agyrtarum contemnes impudentiam, aegrorum tamen illam sibi conciliet fiduciam, quae saepe propinati remedii actionem miro in modo corroborare valet.

His positis, quid dicam de ignominiosis illis Aesculapii seguacibus, qui ingenuitatem ac probitatem simulando, coram aegris ipsis, de scientiae medicae ambiguitate declamant; tot clarissimorum virorum conamina ac studia aspernantur; remediorum haud dubiam perspectam virtutem denegant, ac medicinae veram experientiam contemnere non erubescunt? Jstiusmodi homunculi, (quos Zimmermannus rite opprobrium medicinae vocat), dum etiam vera loquerentur, an ejus dicta aegrae humanitati juvabunt? an imaginationis phantasmata dissipabunt? nonne potius aegrotantium confidentiam debilitando, morbos graviores reddunt, omemque salutis spem tollunt? Praestigiatores qui summa cum impietate ac petulantia olim in triviis mirabilia exequebantur et coram populo miracula agebant, haud minus vituperandi videntur, quam medicus ille, qui scientia omnino destitutus, arguto sermone, aut impudentis sententiis dignitatem, probitatemque suam sustentare conatur.

**FINIS.**

# Theses Defendendae

**I.**

*Morbi qui ab imaginatione pendent, non raro plus nocent, quam ab aliis potentiis externis inducti.*

**II.**

*Morbus ab imaginatione inductus, facilius moralibus, quam pharmaceuticis remediis sanatur.*

**III.**

*Quo debilior est ratio, eo facilius phantasia excitatur.*

**IV.**

*Cadaver hamanum unicum anatomicorum magister.*

**V.**

*Absque anatomia, nulla vel obscura, rationalis certe nulibi datur medicina.*

**VI.**

*Administratio sublimati corroscivi in solutione alcoholis vel aquae destillatae, omnium tutissima.*

VII.

*In febribus inflammatoriis, diaphoretica; tantum sub crisi stadio juvant, secus morbum exasperant, imo ad nervosam febrim disponunt.*

VIII.

*Physiologia, sicuti sublimiori ratione ac anatomia, in oeconomiae vitalis penetralia perspicit, ita elatiori philosophia corporis atque animi reciprocum influxum exponit, atque illustrat.*

IX.

*Hygiene periculum morbi adventantis perspiciens, morbosam dispositionem temperare, vel etiam tollere studet.*

X.

*Venena in manu medici prudentis, optima remedia.*

XI.

*Vita organica ab inorganica, assimilatione differt.*

XII.

*Morbi inflammatorii felicius curantur in laxis corporibus, quam in robustis, et valido labore exercitatis, hominibus.*